Quaestio Quodlibetaria agitanda In Scholis Medicorum die Jovis 24 Novembris.

Guillelmo Lusson Moderatore prudentissimo.

Estne Pesti Bolus Armena Remedium, lui Venereae hydrargyrum?

Naturae hostis morbus quilibet, licet ab eo non raro laedatur, sitque alter alterius morbi remedium, cum multis modis insidietur, nullo prius vitari debet (ad quam tuendam et morbum profligandum non est necessaria functionum integritas) quam cum venenata qualitate, cuius non est particeps omnis contagio, ut nec semper illa contagii, contactus [?]. Sed quoniam abdita ratio est, remedio per indicationem invento tolli nequit, sed observatione vel analogismo quod habet. quo fit ut inter morbos pestis, venereaque lues nondum palmam obtineant, utraque contagio, a venenata qualitate quibus duabus ab ardentibus, nedum intra, sed extra venas ex acribus, biliosisque humiditatibus orta, eadem cum tertiana continua, et a reliquis putridis toto genere differt, sed illa plures et citius occidit, sponte tamen interdum curatur. Haec vero naturae soli nunquam cedit. Pestis morbus epidemicus alterius morbi nomen non habet, sed quidquid multos natura, aetate, sexu, victus genere dissimiles uno in loco occupat simul et perimit. Lues venerea sporadicus certa morbi species composita sensim adeo immaluerunt, ut omnium morborum velut hydra altera sit adolescens inexpugnabilis, miserorumque scortatorum flagellum.

Pestis causae complures, inter quibus syderum influxus qualiscunque sit, deorum situs, accensio [?] non potest, nec a coelo distinctis inter se nonnullis orbibus naturae eius suis astris divisae, non omnino concentricis, sicut nec eccentricis conflato, qualitate naturali sibi congenita ad duplicem motum, in orbibus tantum ab ortu in occasum, et ab occasu in ortum, minime contrarium omnium perfectissimum, licet eo sublato aliud quippiam non tollatur sublunaris, se accingentes corporis speciei, caeli [?], et cuiuscunque coloris et caloris, gravitatis, levitatis, omnisque compositionis materiae et formas omnino expertes, raritatis vero densitatis (quae cum sint eaedem cum his sublunaribus ratione quantitatem non absolute sequuntur) duritiei, mollitiei, perspicuitatis et opacitatis participes suo lumine per incidentes reflexosque radios agendo, caloris causa inferiora haec dispensante, utramque terrae globum habitabilem reddente, tam dirum virus expiratur. Sed aeris omnis cognatio tribuitur aeri, cuius noxas graviores, quam aquas, si vel nativis suis qualitatibus, humiditate praesertim quales australes a ventis in totum silentes, [?] vel a putridis exhalationibus inquinatus pestilens evaserit, vel virulentas humorum, quorum vitium eo quod partium solidarum sanitatem destruit corruptelas sponte genitas, aut diaetae, aut partium vitio, adjuvante vulgaris putredinis causa multiplici. Lues venerea producit virulenta qualitate impuro coitu, suctu, contactu in vapore et humore conspicta, a quibus sensim solida corpora dirutae, nullo aeris aut syderum vitio suscitata.

Sed cum utriusque venenata contagio valida sit, tamen sine corporis praeparatione inanis est. Venerea declinatur arte, citra quam parcit nulli. Pestilenti corpus purum, proboque perspirans per se reluctatur, cui vel venereo licet assuescere. Utraque coit omnibus maxime vero cacochymis, biliosis, sanguineis: tardius mulieres venerea et pestilens ab aere adoritur. prudentes promptissime. Pestifera ab interna corruptione senes, et mulieres promptius laedit, qualibet melancholicis aegrius insidet, sed tandem habet funestus. Aer ergo per ora, nares, et caeca cutis spiracula insinuatus pestiferum morbum sed corpori consentaneum, saltemque febrem hecticam, humoralem, diariam omnium citissime necantem inserit. Raro pestilens solitaria, saepeque cum putridis complicatur. Cuius prodromi carbunculus, bubo, cui si febris iam factae supervenit, funestiores. Hanc enim nulla crisis salutariter iudicat. signa nulla propria alia, sed vulgaris putredinis sequuntur naturam, blando tamen calore, pulsuum integritate, urinarum coctione, cum lethalis signis funestis conspicua: luem veneream prodit ulcus partis virus excipientis ab impuro coitu, suctu, contactu, gonorrhoea, bubo sero indolens, maculae, pustulae, madarosis, mediorum artuum dolor nocturnus, faucium ulcus, tophi.

Horum affectuum dissita variam suadet curationem. Communis tamen amborum quas arcendi meritorum exsiccatio et contagionis sit extinctio. Exsiccatio in utroque communibus et propriis auxiliis. Extinctio solis alexiteriis. Exsiccant vacuantia omnia et cardiaca qualis theriaca. propria vero in peste Bolus Armena, in lue venerea hydrargyrum. Contagio semel recepta quia humores inficit, et in peste saepe, in lue venerea nunquam, humores turgere facit, vacuationem admittit sanguinis detractione e directo, et proxima vena partis bubone carbunculo obsessae, quam quae ex opposita parte interdum necessaria, tanto copiosior quanto copia maior et febris: purgatio in peste quidem blanda, nunquam tamen cassia, plerumque vehementi: aestus aere frigido, et suaviter olente, refrigerantibus assumptis, aciditate sua et astrictione putredini contrariis, et admotis epithematis, extinguendus. vires cibo pleniore, vino, cardiacis, quoniam tempore tuendas, virus ad absessum naturae arte evocandum, parandusque puri praematurus exitus.

Nascente lue, erumpente bubone, gonorrhoea, ulcere fatigante cathartico abstinendum. altius si grassetur, vel renascente bubone, vel suppurato purgationes et motus validi, cardiaca, sudorifica, quorum vires mixtis catharticis aut exsolvuntur, aut potius aegrum afficiunt. Contumacior si fuerit, litus ex hydrargyro et axungia suilla (calidioris mixtio alexiterii vires frangit) praeparato prius corpore, vacuato, loto. cum sudorificis tenuis victus, tenuior in litu, utrobique vini abstinentia. tophi si remaneant, igne et emplastris ex hydrargyro tollendi. Ergo cum pestiferae contagii nimia humorum colluvies obnoxia reddat corpora, eique sua qualitate aerea perimat, idoneum praesidium quod exsiccando virus superet, qualis Bolus Armena. In lue autem venerea quia contagio venenata in crasso et viscido humore haereat, quod remedium fundendo, attenuando, desiccando, penetrando, vacuando contagionem extinguit, excrementa exigit, proprium censendum, cuiusmodi in venerea natura, unum hydrargyrum.

Est ergo Pesti Bolus Armena remedium, lui Venereae hydrargyrum.

Deffendebat Lutetiae Franciscus Mombel Pedemontanus anno 1575.

Dñi Doctores Disputaturi.

M. Yvo Marchant. M. Michael Marescot. M. Claudius Bailly.

M. Bartholomaeus Passart. M. Philibertus Laudenot. M. Stephanus Gourmelen, Decanus.

M. Joannes Faber. M. Guillelmus Cappel. M. Joannes Liebaut.

B.I.U.P. BIBLIOTHEQUE